


5277  
4

vol 23

II R  
2682

COMMENTATIO  
DE  
PRAECIPVIS  
FEMINARVM  
IN GERMANIA  
IVRIBVS

EX GENVINIS  
PATRIARVM LEGVM FONTIBVS  
DEDVCTA  
AVCTORE  
THEOD. GEORG. GVIL. EMMINGHAVS  
IVR. DOCT. IN ACAD. IENENS.





BIBLIOTHECA  
POLITICAVIANA

IENAE  
SVMTIBVS CHRIST. HENR. CVNO  
M DCC LI.



COMMENTARIO  
PRACTICVS  
F. M. A. R. V. M.  
IN GERMANIA  
IVRIS


EX ORDINE  
FACULTATIS IURIS POSITIVAE  
M. D. C. C. L. I.  
AVCTORE  
FR. GEOR. B. E. E. M. I. N. G. H. A. V. S.  
M. D. C. C. C. X. I. I.



IN VENIA  
M. D. C. C. C. X. I. I.







LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM!



Miraberis forsā, BENEVOLE LECTOR! quod post Homeros adhuc Iliada canere, et cum iam sexcenta aliorum de feminarum iuribus scripta extent, singularem adhuc de iisdem commentationem in lucem edere mihi proposuerim. Enimvero, cum ex iis, quorum opera in explicandis hisce iuribus erudito orbi innotuit, alii in specialibus et particularibus tantum versati fuerint, alii vero solummodo ad Romani



iuris compitam eadem diiudicauerint, quae tamen potissimum iuxta patriarum legum praecepta aestimanda fuissent: a peritioribus saltim aliqualem gratiam me initurum fore credidi, si ea, quae alibi hinc inde dispersa non sine opera conquirere debent, hic in compendio iunctim ipsis exhiberem, iuraque *feminarum Germanarum*, non ex putidis peregrinorum iurium rivulis, sed ex genuinis, uti fas est, patriarum legum fontibus deducta, ante oculos ponerem. Qua spe si me non defraudatum videro, BENEVOLE LECTOR! proxime futuris nundinis autumnalibus coeptorum continuationem certo a me expectare poteris. Vale interim mihi que faue! Dabam

Ienae, mense Martio, A. R. S.

M DCC LI.



SE-





SERIES CAPITVM  
QVAE  
IN HOC SPECIMINE I,  
CONTINENTVR.

CAPVT I.

*De Femina Virgine.*

CAPVT II.

*De Femina nubente.*

CAPVT III.

*De Femina uxore.*

CAPVT IV.


*De Femina praegnante.*

CAPVT V.

*De Femina parturiente.*







## PROLEGOMENA.

### I.



Cum singularia feminarum iura hoc loco pertractandi nobis animus sit, vel ex ipso opusculi nostri rubro et per se constabit, nos neutiquam hic ea iura explicatu-ros fore, quae his cum nostro sexu communia esse, inter omnes liquet: sed illa potissimum exposituros, quae feminis prae masculis separatim competere leges moresque Germanorum perhibent; quaeque partim propter maiorem, quam in sequiori sexu deprehendimus, corporis pariter ac ingenii, infirmitatem, (a) partim vero ex singulari erga eundem obseruantia,

(a) Feminas, praesertim consilio, masculis infirmiores cense-ri, vel ex eo cognoscitur, 1) quod absque curatore nihil in iudicio agere possint; 2) neque sine eo, vel pro se vel pro aliis, semet obligare; 3) nec ad ciuilia aut militaria munera consequenda aspirare; et 4) ubi de excusanda imbecillitate agitur, earum excusationes facilius ad-

mittantur, ac masculorum: Ill. EN-GAV *Elem. iur. germ.* Tit. II. §. XIX. ibique cit. OTTO *diff. de perpet. feminar. iur.* Cap. II. §. IX. BRÜCKMANN *de different. utriusq. sex.* P. II. art. 17. BEYER *delin. iur. germ.* Lib. I. Cap. XXVII. et quae sunt reliqua, infra plu-ribus deducenda.



tia, (b) a maioribus nostris constituta videntur, et vel uniuerso sexui *communis*, vel quibusdam tantum *propria* dicenda sunt. (c)

## II.

Ne quis autem in eam forsitan cogitationem incidat, ac si omnium indistincte, tam illustrium quam ignobilium, tam secularis quam ecclesiastici ordinis, feminarum iura, publica pariter ac priuata, pertractare velimus: illud praeprimis in fronte huius tractationis monendum videtur, nos hic tantum circa priuata feminarum, ignobilium maxime ac secularium, iura exponenda versari. Quod enim ad illustrium feminarum iura attinet, horum explicationem doctissimam iam ante nos exhibuit magni nominis Iureconsultus, perillustis DE LVDOLF. (d) Quantum autem ad ecclesiasticarum iura spectat, haec alio tempore ex instituto disquirere, nobis reseruari sumus.

## III. Ne-

(b) Feminis veluti sanctum quid inesse putarunt maiores nostri, teste TACITO *de moribus Germ.* Crp. VIII. magnoque semper honore ac pietate eas profecti sunt. Docent illud magnifica, quibus insignierunt eas nomina, dum *Dominae, Froae, Frauen* in vetustis chartarum monumentis appellantur: nec non quod in famosis illis ludis equestribus, praemia victoribus distribuenda, ipsis demandauerint; ac praecedentiam prae masculis, licet in maiore dignitate constitutis, aut ex nobiliore gente et ordine prognatis, quavis data occasione eis concesserint: prouti vel adhucdum nostri quoque seculi mores ferunt. Ill. ENGV. *d. l.* n. \*\*.

(c) Ad iura feminarum *communis* v. c. pertinet, quod regulariter a successione in feuda excludantur; ad *propria* autem, quod virgines et viduae, etiam absque curatore de rebus suis, mobilibus pro lubitu disponere queant, non autem maritatae: item, quod vxores mercatrices in rebus ad mercaturam spectantibus valide sese obligent, non vero reliquae; prouti in sequentibus adhuc clarius docebitur.

(d) *Tr. de iur. feminar. illustr.* Prodiit primo A. 1711. in 4to. Postea auctior A. 1734. in fol. Ienae.



## III.

Neque vero, omnium feminarum eadem vbiuis iura esse, existimandum: quin potius pro diuersitate legum et consuetudinum, prouincialium pariter ac statutariarum, quarum mira saepe cum peregrinis iuribus commixtio facta, iura quoque, sequiori sexui praecipue competentia, admodum inuicem variare, adserendum erit. (e)

## IV.

Quidquod? non tantum iurium patriorum diuersitas hanc muliebrium iurium discrepantiam causatur; verum et diuersa ipsarum feminarum, qua fruuntur conditio, diuersaque negotiorum, quae ab iis geruntur, qualitas, iura earum admodum variant. Alia enim sunt virginum, quae in parentum aut tutorum mundio degunt, iura; alia vxorum, quae maritali potestati subsunt; viduarum alia etc.; quae singula iam, secundum principia iuris, praesertim patrii, prisci pariter ac hodierni, suo ordine proponere, Deo adiuuante exordiemur.

(e) Sic v. g. in Saxonia feminae, sine curatore in iudicio comparere, non permittitur: bene tamen extra eam. Item iure statutio Norimbergenſi vxoribus etiam absque mariti consensu

de bonis suis testari integrum est. Iure autem Hamburgensi atque Lubecensi, non nisi permittente marito, haec testandi facultas ipsis conceditur.



CAPVT



( \* )

CAPVT I.  
DE  
FEMINA VIRGINE.

§. I.

**N**olo iam in definienda virginis persona commorari, utpote de cuius genuina significatione, et me tacente, inter Lectores constare puto. Illud solum hoc loco non praetermittam, quod magno semper in honore, prae aliis feminis, apud maiores nostros fuerint virgines, intemeratae castitatis ac pudicitiae custodes. Cuius quidem probatio, si non exaret alia, vel ex eo luculenter satis pateret, quod non solum harum praefertim operam, in distribuendis, eis, qui certaminibus equestribus solenniter institutis ex arena victores discesserant, praemiis, quae *Dæncke* vocabantur, adhiberent, (f) verum et finitis ludis, ad tripudia cum victoribus ineunda, easdem inuitarent: (g) a quibus arcebantur ceterae, illicitaeque veneris usum iam expertae. (h)

§. II.

Porro et illud haud exiguae earum existimationis testimonium suppeditat, quod non tantum in publicis solennibusque actibus atque conuiujs, (i) sed etiam desponsatis, hierologiam sacerdotalem petitoris, in primo festiuarum nuptiarum die, corona in capite nudato fixa, (k) solutisque capillis

(f) SCHVEBART *de ludis equestr.*  
Cap. V. §. XXII.

(g) Conf. I. F. de FLEMMING *vollkommener teutscher Soldat*, in append. Cap. IV. §. 25. et 57. p. 735. seqq.

(h) Inde etiam adhuc hodie vsu venit, ut, si inter personas coelibes tripudium quoddam instituat, nulla, quam ab amatore compressam ac desloratam esse constat, ad illud admittatur.

(i) Quibus tamen virgines rarius

interesse permiserunt maiores nostri, ne forte illarum aures Veneris vocabulis polluerentur. VARRO *de re rustic.*

(k) Conf. MADERVS *de coron. nuptial.* Corona semper fuit incorruptae qualitatis, personae aut rei cohaerentis, signum. Vnde etiam hodie adhuc castella vrbesque munitae, quae nondum victoris cuiuspian expugnationem perpeffae sunt, huiusmodi corona, frondentibus fruticibus constructa, cinguntur,



lis, (l) incedere iis permissum fuerit. Quod vero neutiquam viduabus, aut defloratis et stupratis concedebatur; (m) imo ne iis quidem, quibus lasciuia improbi raptoris libido inaeestimabilem virginitatis florem vi abstulerat, quippe quae caput velo tegere tenebantur. (n). Quae omnia et adhucdum vsu feruari palam est.

## §. III.

Cum itaque tantum apud Germanos sit incorruptae virginitatis pretium, tantusque honor, non immerito inter ICtos mouetur quaestio: an virgini thesaurum huncce irrecuperabilem, nulla re, nec arte nec marte, nec prece nec pretio, vniquam restituendum, etiam cum occisione eius, qui ipsius pudicitiam violento ausu contrectare impendit, defendere integrum sit? (o) Sunt qui affirmant, sunt et, qui negant. Ego quidem affirmantium sententiae accedere nullus dubito; (p) si nempe puella in praesenti periculo constituta fuerit, nec alio modo ab iniuria raptoris lasciuia se tueri possit. Quodsi enim vitam nostram, imò et facultates nostras, contra iniustum aggressorem, etiam cum huius interneccione, propugnare nobis permissum

virginumque insigniuntur nomine. Etsi defuncta virgo terrae mandanda, ferebro eius in solemnibus exequiis corona solet infigi; quod quidem apud maritatas et defloratas cessare videmus.

(l) Qui potissimum ingenuitatis signum erant. HEINECCIUS *Elem. iur. german.* Tom. I. Lib. I. Tit. X. §. CCXXI. n. 4. p. 176. Inde euenit, vt in impertiendis legitimae natiuitatis testimoniis iudices olim vti solerent formula: *Dass N. von Eltern geboren, welche mit stiegenden Haaren zur Kirche und Strafen gegangen.* III. ENCAV *dist. loc.* Lib. I. Tit. XIV. §. CCCLV.

(m) Inde fit, vt adhuc hodie, altero nuptiarum die, conuiuae coelibes spondae coronam eripere, velumque capiti iniicere, ac defloratae ereptae sibi virginitatis pretium exigere soleant: *dass ihnen der*

*Kranz bezahlet werden möge.* ENCAV *ib.*

(n) BOEHMER *iur. Dig. Lib. LVIII. Tit. v. §. 35.* BERGER *Oecon. iur.* p. 821. KESTNER *dist. de iure connagii §. IX.* Et ita quoque teste CARPZOVIO *Prax. crim.* P. II. qu. 75. n. 83. responderunt Scabini Liphenses: *Was aber die nothgezogete Person anlangt, ist sich dieselbe des Kranzes zu enthalten schuldig.* In reliquis vero negotiis, actualem virginitatis praesentiam non requirentibus, virginibus aequiparantur earumque iuribus fruuntur vi defloratae.

(o) BORNMANN *de iuribus virginum* Cap. III. KESTNER *dist. dist. §. VIII.* BRUNNEMAN. *Comment. ad L. vnic. C. de rapt. virg.*

(p) Contrariam sententiam inter alios tuetur CARPZOVIVS *Defin. Confist. Lib. II. Def. 187. et 193.*



sum est: (g) quidni et eodem iure uti licebit, in defensione rei prorsus inaeſtimabilis, a cuius integritate, tota ſaepius miſeræ femellæ fortuna bonaque fama, vnice dependet? cum vita et fama pari paſſu ambulare, iuſtusque dolor in iure noſtro excuſare dicantur. (r)

## CAPVT II.

DE  
FEMINA NVBENTE.

## §. I.

**T**ardiora apud veteres Germanos feminarum fuiſſe coniugia, nec niſi prouectæ ætatis virgines, rei familiaris, vti par eſſet, proſpiciendæ et adminiſtrandæ gnaras, maritis deſponſatas fuiſſe, antiquiſſimis hiftoriarum priſci æui monumentis, quantum ſatis eſt, perdoceſtur. Ita enim teſtatur celeberrimus ille patriarum rerum ſcriptor, TACITVS: (s) *Sera iuuenum Venus, eoque inexhauſta pubertas; NEC VIRGINES FESTINANTVR: eadem iuuenta, ſimilis proceritas, pares validique miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.* (t) Secus, ac noſtris

B 2

tempo-

(g) L. i. C. vnde vt. L. 17. ff. de vi et vi armata.

(r) Add. CONSTIT. ELECT. SAXON. XLII. P. IV. L. I. §. 4. ff. ad L. Cornel. de ſicar. L. vn. C. de rapt. virg. CONSTIT. CRIM. CAROL. Art. CXL. EICHEL diſſ. de tutel. incuſp. Th. 10. BESOLD Theſaur. pract. Tom. I. voc. Nothwebr. STRVV de vindict. prin. Cap. V. p. 55.

(s) cit. Tr. de morib. Germ. Cap. XX. Idem de Illyriis, germanicæ originis gente, CELLAR. Notit. orb. ant. Lib. II. Cap. VIII. refert VARRO de re ruſtic. Lib. II. Cap. I. miraturque apud eos fe-

minam viginti annis natam virginem appellari.

(t) Maxime igitur in eo, vti fere in plerisque aliis, reſceſſiſſe videmus maiores noſtros, a Romanorum inſtitutis; quos habitum connubialem non ex animi corporisque robore, ſed ex perpaucorum annorum numero, diuidiſſe, femineſque duodecimum annum vix ac ne vix quidem egreſſis, maturas permiſiſſe nuptias, conſtat ex L. 4. ff. de rit. nupt. Quinimo in marmore apud GRVTERVM Inſcript. p. CXXIV. 1. et MXLVI. 6. occurrit mentio vxorum Romanarum VIII. et VII. annorum; teſte HEINECCIO d. l. Lib. I.



temporibus, moribusque corruptis, quibus puellas tardius viris iungi quasi ignominiosum habetur, et quo festinatiores ab iis celebrari queunt nuptiae, eo maiorem sibi gratulandi felicitatemque suam depredicandi causam illas habere creditur; (u) cuius eventum, praeter opinionem saepe minus prosperum, fero postea deplorant, et miserae tenellae, et parentes praegnatu coniugii auctores.

## §. II.

Posteaquam vero iustae aetatis, parentum aut iudicum arbitrio aestimandae, (w) coeperunt esse filiae, facilius et cum feliciori successu permittebantur ipsis nuptiae; modo consensum parentum eorumque, in quorum mundio existebant, descender antea requisierint. Indignum quippe iudicabant, tanti momenti opus, parentibus, propinquis, aut tutoribus inconsultis, perficere. (x) Quin potius aut dirimebant vincula, absque horum consensu colligata; (y) ceu apparet ex LEG. ALAMANNORVM

RVM

Tit. X. §. CXCVII. n. \* Quem quidem deprauatum morem sensim et ad nostros ciues transiisse, docet experientia.

(u) Vera sunt, quae cecinit CONRADVS CELTES Lib. II. Eleg. IX.

*Corpore maturo tunc nupsit mascula virgo,*

*Quatuor ut lustris vita peracta fuit.*

*Colloquium castum iuuenis seruabat in agris,*

*Robustoque fuit corpore sera Venus.*

*Sed nunc bisquinos ubi vix transegerit annos.*

*In Venerem et Bacchum docta puella ruit.*

Vid. IOH. PHIL. BVRGGRAV. Not. ad HERM. CONRING. Tr. de habit. corpor. german. Sect. II. Cap. II. §. XXX. in fine p. 152.

(w) Pubertatem seu, quod veteribus idem erat, maiorenitatem antiquissimis temporibus, non ex annorum nu-

mero diiudicarunt maiores nostri, sed ex habitu corporis mentisque robore, patris aut iudicis censu agnito. Postea tamen, Romanorum exemplo, etiam certum annorum numerum, utriusque sexui communem, sed pro diuersitate temporum ac populorum in Germania degentium diuersum, determinarunt; eum tamen, qui a Romano pubertatis termino multum differebat. Conf. A. LVDEWIG de aetat. legit. pub. et mai. III. ENGAV c. I. Lib. I. Tit. II. §. XX. HEINECCIUS dict. E. I. G. Lib. I. Tit. XV. §. CCGXXXIV. seqq.

(x) Hinc TACITVS c. I. cap. XVIII. parentes propinquosque semper nuptiis liberorum interfuisse, meminit.

(y) Id quod et hodie adhuc Iure MARCHICO, BRVNSVICO - GVELFERBYTANO, MEGAPOLITANO, HENNEBERGICO et HAMBVRGENSI obtinere docet III. ENGAV d. I. Lib. I. Tit. XII. §. vlt. Cui adde, si vis,



RVM: (z) *Si quis filiam alterius non desponsatam acceperit sibi uxorem, si pater eius eam requirit, reddat eam, et cum XL. solidis eam componat; aut puellam, quae infans atque inuitis parentibus marito sese iunxerat, a futura successione excludebant; (a) quorsum spectat L. BVRGVNDIONVM: (b) Romana vero puella, si sine parentum suorum voluntate aut conscientia se Burgundionis coniugio sociauerit, nihil se de parentum facultate nouerit habituram.*  
 LEX ANGLIORVM ET WERINORVM: (c) *Si libera femina sine voluntate patris aut tutoris cuiilibet nupsset, perdat omnem substantiam, quam habuit, vel habere debuit.* LEX WISIGOTHORVM: (d) *Si puella ingenua ad quemlibet ingenuum uenerit ea conditione, ut eum sibi maritum acquirat, prius cum puellae parentibus conloquatur: et si obtinuerit, ut eam uxorem habere possit, pretium dotis parentibus eius, ut iustum est, impleatur. Si vero hoc non potuerit obtinere, puella in parentum voluntate consistat. Quod si absque cognitione et consensu parentum eadem puella sponte fuerit viro coniuncta, et eam parentes in gratiam recipere noluerint, mulier cum fratribus suis in facultate parentum non succedat, pro eo, quod sine voluntate parentum transierit promior ad maritum; aut maritum, qui hoc modo puellam domum duxerat, in grauio-rem mulctam condemnabant: quale quid apud FRISIONES, SAXONES ET LONGOBARDOS obtinuissè legimus. Ita enim habet LEX FRISIONVM: (e) *Si quis liberam feminam extra**

B 3 volum-

responsa Ictorum Rostochiensium atque Chiloniensium, apud THOMASIVM Tr. de valid. coniug. inuit. parent. contract. p. 38. seqq. et SCTVM NORIMBERGENSE de Anno 1691. apud BECKIVM diff. de iurib. femin. Norimb. Cap. III. §. XV. Item GROLMANN. diff. de necessar. parent. tutor. et curat. consensu in nupt. liber. Cap. II. Ple-  
 risque tamen in locis, nuptias etiam inuitis aut inconsultis parentibus contractas, ob iuris pontificii auctoritatem, sustineri, nec, ubi praesertim copula carnalis aut sacerdotalis iam accesserit, facile rescindi praxis docet. CARPZOV Iurisprud. Consistor. Lib. II. Def. LX.

Cui add. RECESS. IMP. de An. 1548. Art. 21. §. IX. a LVDEWIG diff. de differ. Iur. R. et G. in Connub. imper. et conf. parent. diff. II. §. VI.

(z) Tit. LIV. §. I. apud Dn. GEORGISCH Corp. Iur. Germ. p. 219.

(a) Idem in Saxonia Elect. statuit EHE-ORDNVNG Tit. von Ehegelübnißsen, §. und da et §. Würden.

(b) Tit. XII. §. V. apud cit. Da-GEORGISCH p. 350.

(c) Tit. X. §. II. Ibid. p. 450.

(d) Tit. II. §. VIII. Ibid. p. 197.

(e) Tit. X. §. XI. XII. apud EVND. p. 419.



voluntatem parentum eius, vel eorum, qui potestatem eius habent, uxorem duxerit, componat tutori eius solidos XX. id est denarios LX. si autem nobilis erat femina, solidos XXX. LEX SAXONVM: (f) Si autem sine voluntate parentum, puella tamen consentiente ducta fuerit, bis CCC solidos parentibus eius componat. Et LEX LONGOBARDORVM: (g) Si puella libera - - - sine voluntate parentum ad maritum ambulauerit, liberum tamen, tunc maritus qui eam acceperit uxorem, componat pro anagrip solidos XX. et propter fœdam alios XX.

## §. III.

Antequam vero consensum suum impertirentur parentes, prius in personam sponſi probe inquirebant, an etiam talis eſſet, cui per leges moresque nubere liceret filiabus ſuis. Volebant enim leges, I) vt legitima ætate ſponſæ præcederet eam ducturus, ne ad mariti nomen erubeſceret, qui per ætatem vxoris ſuæ filius eſſe poſſet. (h) Proinde WISIGOTHORVM L. ſapientiſſime cautum fuit: (i) *Vi male ordinata propagatio generis in ordinem reducatur, huius ſanctione decernitur legis, vt feminae minoris ſemper ætatis viris maioribus in matrimonio deſponſentur.*

## §. IV.

II) *Secundo* requirebant leges, vt ne puella nuberet ſponſo, qui conditione et natalium ingenuitate ipſa eſſet deterior, ne impari ſe pollueret matrimonio. (k) Neque enim filiam nobilem

(f) Tit. VI. §. II. *Ibid.* p. 459.

(g) ROTHAR. CLXXXVIII. *Ibid.* p. 977. et CCXV. p. 984.

(h) Quod quidem moribus noſtris non adeo religioſe amplius obſeruari palam eſt, quibus haud raro opes annorum numerum ſupplent vel imminuunt, prout cuiusque ratio ſtatus id poſtulare videtur.

(i) Lib. III. §. IV. in med. ap. GEORGISCH *dict. loc.* p. 1918. Cui add. L. LANGOB. CAROL. M. CXLV. ap. EYND. p. 1170.

(k) Sunt quidem qui feminam illuſtrem nobili, nobilem plebeio ſe iungentem, matrimonium inaequale contrahere negant: aſt ſine ratione. Eadem enim, quæ circa maſculorum connubia ſeruantur iura, et in feminarum coniugiis obſeruanda eſſe, ex paritate rationis pronò ſluit alueo. Id quod vel ipſi quoque patriarum legum textus allegari confirmant. Nobilitatem vero gentilitiam impari eiſmodi matrimonio amittere eam vix adferendum puto, præfertim ſi viro ciuici or-



bilem plebeio, ingenuam liberamue seruo, aut liberto, coniugaliter sociari, permittebatur. (l) Ingenua namque si qua apud FRANCOS succubuerat seruo, ipsa libertatem amittebat, et vna cum marito durum seruitutis iugum obire tenebatur; (m) ceu apparet ex ipsis verbis. CAPITVL. III. REG. FRANCOR. ANNO DCCCIX. DE L. SAL. (n) *Si quis ingenuus ancillam alienam in coniugium acceperit, ipse cum ea in seruitio implicetur.* (Haec erant verba Legis Salicae. Iam sequitur eorum interpretatio.) De hoc capite iudicatum est ab omnibus, vt si ingenua femina quemlibet seruum in coniugium sumserit, non solum cum ipso seruo in seruitio permaneat etc. Quibuscum incidit L. RIPVARIORVM, qua constitutum fuerat, vt puellae ingenuae, quae seruo nupsert, a Rege vel comite spatam et conucula (i. e. gladius et fuitus) (o) offerretur, ad id, vt vnā, quam vellet, ex his eligeret; et electa priore seruum occideret, posteriore autem, et ipsa cum seruo in eandem seruitutem transfiret. Haec enim sunt verba dictae legis: (p) *Quod si ingenua Ripuaria seruum Ripuarium secuta fuerit, et parentes eius hoc contradicere voluerint, offeratur ei a Rege vel Comite spatam et conucula. Quod si spatam acceperit, seruum interficiat: Si autem conuculam, in seruitio perse-*

uenis, aut in dignitate constituto, nupsert: BERGER *Oecon. iur.* Lib. I. Tit. II. §. XII. 4. quamuis illam a matre in liberos ex disparagio procreatos transferri posse negauerim. HOEPING *Tr. de iur. insign.* Cap. VII. III. ESTOR *diff. de odio in matrim. inaequ.* Cap. IV. §. LIH. GVNDLING *diff. an nobilitet venter?* Cap. III. §. XXXIV. seq.

(l) Quod quidem apud Romanos longe aliter se habuisse nouimus. Hi enim tamen quasdam nuptias initio, tanquam noxias atque indecoras, damnassent: Iustinianus tamen, ex singulari forsan erga sequiorem sexum affectione, aut, quod suspicantur alii, illecebris atque blanditiis Theodoriae suae indutus, multa in fauorem matrimoniorum, antea prohibitorum, mutauit et de nouo constituit. Conf. HEINEC-

CII *Comment. ad Leg. Iul. et Pap. Pop.* Lib. II. Cap. I. Eoque factum, vt posteriori aeuo coniugia quoque imparia, apud Romanos frequentiora esse coeperint. Quorum acris defensor exiit GERH. FELTMANN *Tr. de impar. matrim.*

(m) Id quod et hodie adhuc passim obtinere inter alios docet OTTO *Tr. von der Leibeigenschaft.* P. II. p. 31. Vid. quoque OSNABR. EIGENTHUMS-RECHT Cap. IV. §. XIII.

(n) Cap. III. apud Dn. GEORGISCH *d. l.* p. 841.

(o) Prouti haec uocabula interpretatur HEINECCIUS *E. I. G.* Lib. I. Tit. III. §. LXXV.

(p) Tit. LVIII. §. XVIII. ap. GEORGISCH p. 171.



*seueret. Et idem fere praecipit L. FRISIONVM: (q) Si libera femina lito nupsert, nesciens eum litum esse, et ille postea de capite suo, et quod litus sit, fuerit calumniatus; si illa sua sexta manu iurare poterit, quod postquam eum litum esse resciiuit, cum eo non concubuit, ipsa libera permaneat, et filii, quos procreauit. Si vero iurare non possit, in compositionem mariti sui vna cum filiis suis transeat.* ALEMANNI, in hoc casu aliquantum mitiores, puellae ingenuae, feruilibus implicatae nuptiis, certum temporis spatium praefigebant, intra quod, relictis tamen liberis ex illa procreatis, e domo mariti adhuc exire ei liceret, ita vt maneret libera: quo termino elapso si non exierat, serua fiebat. Sic enim habet L. ALAMANNORVM: (r) *Si libera Alamanna seruo Ecclesiae nupsert et seruile opus ancillae contradixerit, abscedat. Si autem ibi filios vel filias generauerit, ipsi serui et ancillae permaneant, potestatemque exeundi non habeant. Illa autem mater eorum, quando exire voluerit, ante tres annos liberam potestatem habeat. Si autem tres annos indurauerit, - - - post haec ancilla permaneat in perpetuum, et qui ex ea nati fuerint, serui et ancillae sint.* Simile fere apud WISIGOTHOS obtinuisse legimus. Quodsi enim penes hos mulier ingenua cum seruo matrimonium inierat, iudex coniuges tribus vicibus citare ac bene castigatos admonere tenebatur, vt ab indecoro eiusmodi conubio desisterent, seque separarent. Hoc si tertia vice admoniti facere neglexerint, mulierem iterum castigatam remittebat parentibus suis. Et si ne tunc quidem morem gerere vellet, a parentibus dimissa ancilla fiebat domini, ad quem seruus ille pertinebat. (s) Seuerius contra in istud facinus animaduertunt BVRGVNDIONES et LANGOBARDI, pro capitali delicto illud reputantes, quod non nisi mors delinquentium expiaret. Ita namque praecipit L. BVRGVNDIONVM: (t) *Si ingenua puella voluntarie se seruo coniunxerit, vtrumque iubemus occidi.* (u) Et L.

(q) Tit. VI. *Ibid.* p. 478.

(r) Tit. XVIII. §. II. III. IV. V. apud BUND. p. 204.

(s) L. WISIGOTH. Lib. III. Tit. III. *Ibid.* p. 1923.

(t) Tit. XXXV. §. II. *Ibid.* p. 363.

(u) Si vero parentes puellae delictum condonauerint, poena capitalis remittebatur, reaque in seruitutem vindicabatur a Rege; per *dict. Leg.* §. III.



Et L. LANGOBARDORVM: (x) *Si seruus liberam mulierem aut puellam ausus fuerit sibi coniugio sociare, animae suae incurrat periculum: et illam, quae seruo fuerit consentiens, habeant parentes potestatem occidendi etc.* (y) Idem quoque de antiqua SAXONVM gente relatum legimus apud ADAMVM BREMENSEM, (z) verbis: *Id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis coniugiis propriae sortis terminos transferat, sed nobilis nobilem ducat uxorem, et liber liberam, libertus coniungatur libertae, et seruus ancillae. Si vero quisquam horum sibi non congruentem et genere praestantiorum duxerit uxorem, cum vitae suae damno componat.*

## §. V.

III) *Tertio*, in matrimonijs feminarum requirebant veteres, ut, non nisi natione Germano, nuberent. Auerfabantur enim cum exteris connubia; (a) Germanam cum Germano, extraneam cum extraneo coniugendam esse existimantes. Id quod etiam TACITVM (b) innuisse probabile est, dum Germanos vocat *gentem nullis aliarum nationum connubiis infectam, adeoque propriam et sinceram, et sui similem*. Quamuis et ipsos maiores nostros, temporis omnia mutantis successu, a religiosa laudabilis istius instituti observantia paulatim recessisse, negari nequeat. (c) Olim vero non erat sic.

## §. VI.

(x) ROTHAR. CCXXII. apud GEORGISCH p. 985.

(y) Quod si tamen parentes hanc vindictam intra annum exercere omiserint, ex constitutione dicti ROTHARIS et LIVTPRANDI R. Lib. IV. Cap. I. §. VI. *Ibid.* p. 1042. in Regis; postea vero ex dispositione LOTHARII I. Cap. LXXII. in domini illius, cuius servus fuerat, seruitium redigebatur.

(z) *Histor. Eccles.* Lib. I. Cap. I. apud LEIBNITIVM *Script. rer. Brunsvic.* Tom. I. p. 76.

(a) III. ESTOR *diff. de odio in matrim. inaequal.* Cap. III.

(b) cit. *Tr. de morib. Germ.* Cap. IV. Quibus conueniunt, quae Cap. II. scribit: *Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium aduenibus et hospitibus mixtos.*

(c) Id quod praesertim ab illustribus, ex politicis aliisque causis, factum fuisse, docent innumera, quae in historiarum medii aevi monumentis occurrunt, exempla, quorum multitudinem hoc loco proferre, instituti nostri haud permittit ratio. Adeas tamen, si vis, HEINECCI *Elem. Iur. Germ.* Lib. I. Tit. X. §. CCIV, ubi nonnulla, quae pro veritate dictorum faciunt, adducta



## §. VI.

Quod si ergo legitimae istae qualitates, in antecedentibus sphis memoratae, in sponso, cui puella nuptura erat, conuenirent; inter pocula et epulas, (d) praesentibus vtriusque partis propinquis, (e) hanc illi in matrimonium tradere consueuerunt maiores nostri; his tamen implendis antea legibus: I) vt duetur prius mundium (f) certo pretio (g) ab eo, in cuius pote-

state

inuenies. Illud tamen singulare est, quod adhucdum hodie quibusdam in locis nullae feminae extra territorium nubere permittuntur, nisi omnia, testamentariae pariter ac legitimae, successione iure se priuari voluerit. Quale quid v. c. Hamburgi et Argentorati obtinere asserit BEYER *Del. Iur. Germ. Lib. I. Cap. XX. §. vlt.*

(d) TACITVS de M. G. Cap. XXII. Quae tamen non adeo laetae atque opimae fuerant, ac luxuriosi nostri seculi mores ferunt; sed tenues et parcae, quas sua cuique res familiaris sponte producebat: ceu docet idem TACITVS Cap. XXIII. et inter alia etiam recentiori aevo cognoscere licet, ex vetusto illo SENATVS SVSATENSIS MANDATO de epulis nuptialibus, quod A. MCCCLXVIII. prodidisse meminit SCHRAA ANTIQVA, Art. CLXXV. cuius reliquias ex corrupta membrana, quantum fieri potuit restitutas, Memorabilibus Sufatensibus nuperrime a me editis, inserui. P. III. Docum. No. VIII. p. 250. Ibi: *Vortmer des Avenes wanner des Morgens de Bruyslocht wesen sal, so muye de Brudenghame unde de Bruyt wail tusammen hebbe n tweuntseuentich Man unde nicht meer, do mit en drinken, unde den muye men wail gheven ein Gherichte oude Keyse unde nicht meer, unde ein juwelic Man sal gheven einen Penninc. - - - - - Vortmer des Morgens wanner de Bruytlocht is, so moghen se beide tu ghadere*

*hebben'uystrich Schutellen, unde gheven wyf Gherichte unde nicht meer, unde ein juwelic Schutell sal gheldow twelf Penninc.*

(e) TACITVS l. c. Cap. XVIII. et XXI.

(f) Mundium seu, quod idem erat, mundiburdium, mundiburde, antiqua vox germanica cum terminatione latina, veteribus idem idenotabat quod potestas. DV FRESNE *glossar. Latin. med. Tom. II. p. 696.* Hinc antiquis Langobardorum, aliarumque Germanicarum gentium legibus, liberi in mundiburdio et mundio parentum; feminae in potestate et mundio virorum; pupilli in mundio tutorum; ecclesiae in mundio, mundiburdio, mundiburde Regis esse dicuntur

(g) Quod quidem a diuersis gentibus diuersa quoque accepit nomina. Etenim in L. BVRGVD. Tit. XII. et XXXIV, pretium; Tit. LXVI. §. I. *Wittemon*; L. SAXON. Tit. VII. §. III. *pretium emtionis*; L. LANGOB. ROTHAR. CCXVI. *Meta* vel *Metbium*; L. SALIC. Tit. XLVII. §. III. si vidua desponsanda fuerat, *Reipus* seu *Reiphe* appellatur: prout nec quantitas eius apud omnes constituta fuit eadem. Lege namque SALICA Tit. XLVII. §. I. *tres solidi et denarius* requiruntur, ubi tamen de viduae desponsatione sermo est. Pro virginis enim coemptione, vnum tantum solidum et denarium secundum istam legem soluendum fuisse,



stare aut tutela nuptiarum tempore sponsa fuerat, sibi acquireret, (b) eamque quasi coemeret; (i) II.) Coemtae arham, *Mahlchatz*, *Handtreu*, quae quidem olim minus pretiosa erat, et in quibusdam solummodo armentis, ad instruendam rem familiarem facientibus; (k) postea vero, gliscentibus apud maiores opibus, in aureis argenteisque nummis, (l) et annulo (m)

C 2

confi-

apparet lex FORMVL. BIGNON. V. P. 498. Capitul. Tom. II. Ibi: *Dum et ego te per solidum et denarium secundum Legem Salicam visus sum sponsare.* Et FORMVL. LINDENBROG. LXXXV. p. 532. apud BALVZIVM Tom. II. *Dum taliter parentibus nostris utriusque partis complacuit ut conveniret, ut ego te solido et denario, secundum legem Salicam, sponsare deberem, quod et feci.* Legibus autem SAXONVM Tit. VI. §. I. praecipitur, ut vxorem ducturus CCC. solidos det parentibus eius. Insignem quam pretii a reliquarum gentium constitutionibus differentiam, pulchritudini sexus, qua prae ceterarum gentium puellis eminebant Saxonum filiae, tribuendam putant BOEHMER *diff. de secund. nupt. illustr. person.* Cap. I. §. LXIII. et GUNDLING *Tr. de emtion. vxor.* Cap. I. §. XXV. Prouti etiam de antiquis GETHIS refert POMPON. MELA *de situ orb.* Lib. II. Cap. I. *Virgines non a parentibus viris traduntur, sed publice aut locantur ducendae aut veniunt.* PROBÆ FORMOSAEQVE IN PRETIO SVNT.

(b) Ita enim iubet L. SAXONVM Tit. VI. §. I. *Vxorem ducturus CCC. solidos det parentibus.* L. ALAMAN. Tit. LIV. §. I. *Si ipsa femina sub viro illo mortua fuerit, antequam ille mundum apud patrem acquirat.* etc. L. LANGOBARD. ROTHAR. CLXXXIII. *Si quis pro muliere libera aut puella mundum dederit et ei tradita fuerit ad vxorem etc. Secus qui fecerat, nul-*

lam, nec in vxorem, nec in liberos ex ipsa procreatos, potestatem accipiebat, quin potius in grauiorem insuper multam, parenti vxoris exsoluendam, condemnabatur; per cit. L. ALAM. Tit. LIV. §. I. seqq. HEINECCIUS *loc. cit.* Lib. I. Tit. XII. §. CCLXXXII.

(i) Caue tamen hanc feminarum coemtionem apud Germanos receptam, cum ea, quae penes Romanos vitata fuit, et tacitam emancipationem, per aes et libram more veteri expediendam, comprehendebat, confundas, illamue ab hac originem suam traxisse autumes. Multis iam temporibus ante hanc vxores coemendi consuetudinem seruarunt maiores, quam ex Romanorum institutis quidquam ad eos peruenerat. BRISSON. *de ritu nupt.* p. 20.

(k) Quippe quae teste TACITO *d. l.* Cap. V. solae et gratissimae veterum Germanorum fuerunt opes.

(l) Quod etiam hodie ex quorundam locorum consuetudine, in ducatu IULIACENSI atque MONTENSI, nec non passim alibi, praesertim inter rusticae gentis homines, adhucdum vsu seruetur.

(m) Annuli datio iam ab antiquissimis inde temporibus apud prisca Germanos erat frequens et vitata firmissimae ac constantis amicitiae tessera. Quando enim hospes quis aut peregrinus, institutis nondum diuersis publicis, apud quendam, pro more istius seculi, diuerterat et pernottauerat, altero die discessurus annulum digito de-



confistebat, offerret; III.) dotemque pro dignitate sufficientem, literis apud acta firmatis, (n) constitueret; (o) vt haberet vidua, vnde,

tractum frangebat; cuius dimidiam partem ei, penes quem hospitalitatis iure fruius erat, in sui memoriam tradebat, alteram vero sibi retinebat. Cum itaque firmiter nullum amicitiae et amoris necti queat vinculum, quam inter personas sibi inuicem desponsatas, facile est ad perspicendum, quare et inter has annuli traditio, tanquam certissimum indissolubilis aeternique amoris signum, antiquitus recepta sit. Conf. HACHENBERG *German. med. diss. V. §. VIII.* Et proinde vix ad stipulari possum sententiae B. HEINECCIUS, qui a Romanis annuli pronubi usum ad Teutones nostros translatum esse statuit. *Elem. I. G. Lib. I. Tir. IX. §. CXCI. n. \** Neque tunc temporis aliae, ac desponsatae, annulum digito gestare consueverunt; id quod vel nota illa paroemia innuit: *Ist der Finger beringet, so ist die Jungfer bedinget.* HERT. *paroen. iur. Lib. I. par. LXXV.* Quod autem nostris moribus longe aliter sese haberet, quibus et inuuptas tenerasque puellas ornatus gratia annulus vno pluribus utriusque ab amatoribus atque amicis liberaliter donari, experientia testis est: III. ENGV. *d. I. Lib. I. Tir. XII. §. CCCXXI. n. \** vt pauca excipiam loca, quorum adhucdum consuetudinem ferre, vt annulum non nisi desponsatae accipiant, docet BROWER *de iur. conub. Lib. I. Cap. XXIII. n. 7.* Ex quo facile dignosci posse putarem, quid respondendum sit ad quaestionem: an ex sola datione et acceptatione annuli hodie sponsalia praesumenda sint? de qua vid. MASCARD. *de probat. Conclus. MXXIII. n. 2.* MEVIUS *Decis. VIII. 39.* s. MÜLLER *de annulo pronubo Th. XXX.* alique.

(n) L. RIPVAR. Tir. XXXVII. l. WISIGOTH. Lib. III. Tit. I. §. IX. CAPITVL. CAROL. M. Lib. VI. Cap. CXXXIII. Inde *libelli dotis*, quorum plures videre licet apud MARCVLFVM *Formul. Lib. II. Cap. XV.* et in append. Cap. XXXVII. item in FORMVLIS ANDEGAV. Cap. I. apud MABILLON *Analect. vet. Tom. IV. p. 134. seq.* nec non apud BALVZIVM in *Append. Capitalar. n. CXLVIII. p. 155.* et apud GOLDASTVM *Script. Rer. Alam. Tom. II. p. 28.* passimque alibi: et *instrumenta dotalia*, adhucdum confici solita, quorum iudiciale confirmationem etiam hodie adhuc quarundam prouinciarum; legibus exigit, patet ex CONSTIT. ANHALT. Tir. XVII. et CONSTIT. GVELPHERBYT. Art. XV.

(o) Neque enim, vt apud Romanos, vxor marito, sed maritus vxori, dotem offerebat, teste TACITO Cap. XVIII. *de M. G.* Hinc etiam RAINALDVS, Comes Senonensis, in pactis dotalibus, A. MXXIII. confectis, proficitur: *Ego Rainaldus Comes Senonensis volo coniungere mihi mulierem, - - - sed praecipiat leges humanas, sponsum sponsum suam ex propriis dotare.* apud MARTENE *Thesaur. anecdot. Tom. I. p. 142.* Vid. HEINECCIUS *E. I. G. Lib. I. Tit. XI. §. CCXL. n. \** POLAC. *System. Iurisprud. Germ. Lib. I. Cap. IX.* Eaque dotis constitutione eo magis opus fuit, cum antiquiori aeuo, per plurimarum germanicae originis gentium leges, ad filias parum ex hereditate patris perueniret; vt docent L. SALICA Tir. LXII. §. VI. L. RIPVAR. Tir. LVI. §. IV. L. BVRGVND. Tir. XIV. §. I. et Tir. LXXVIII. L. ANGLIOR. et WERINOR. Tir. VI. L. SAXO-



vnde, soluto aliquando matrimonio, alimenta caperet, vitamque honeste sustentaret: (p) quae tamen ipsa mortua, aut ad secundas nuptias progressa, ordinarie ad proximos constituentis heredes, liberos nempe aut agnatos, reuertebatur; (q) nisi pactis dotalibus aliter conuentum esset, (r) aut speciales patriae leges

C 3

NYM Tit. VII. §. I. et VIII. L. LANGOBARD. ROTHAR. CLXXXI. Nec obstat, quod compluribus tamen Germanorum legibus viduabus certa pars acquaesfus coniugalis fuerit assignata, L. SAXON. Tit. IX. L. WISIGOTH. Lib. IV. Tit. II. §. XVI. vtpote qui plerumque admodum tenuis erat, nec facile ad sustentandam vitam sufficebat viduae maturae, iu bellicosa praesertim illa, qualis erat Germanis, republica, vbi mariti militiae adsueta, quotidiano vitae periculo fuerunt expositi. Conf. III. ESTOR diff. *an dotalit. cesset propt. sec. nupt.* Cap. II. §. I. seqq. EVNDLING Tr. de *Henrico auc.* §. VIII. n. p) pag. 40. HENR. NETTELBLADT de *dotalit.* Ipsa autem dos vel in auro et argento, vel in mancipiis, praediis, vel quacunque re alia, solebat consistere, eiusque quantitatem quarundam gentium leges determinabant, ceu apparet ex L. ALAM. Tit. LV. §. II. L. LANGOE LIVTPE. Lib. VI. §. XXXV. et XLIX. L. WISIGOTH. Lib. III. Tit. I. §. IX. Alibi vero ex libero constituentis arbitrio dependebat. L. RIPVAR. Tit. XXXVII.

(p) Non existimandum tamen, ac si nihil plane ad maritos suos attulerint nouiter conjugatae. Ab antiquissimis iam temporibus mos inualuerat, vt munaera quaedam, initio equidem exigua, in armis solum aut pecoribus, postea vero in auro argenteoque consistencia, filiae desponsatae a parentibus suis acciperent, nouo coniugi tradenda. TACITVS de *M. G.* Cap. XVIII. Quem

et sequentibus temporibus vsu seruasse posteros constat ex L. ALAMAN. Tit. LIV. L. WISIGOTH. Lib. III. Tit. I. §. V. L. LANGOBARD. Lib. I. Tit. IX. §. XII. Lib. II. Tit. I. §. IV. et Tit. XIV. §. XV. Quibus posterioribus bona ista sub nomine *faderpbii* (quasi *vaterlich Vieh*) veniebant; III. ESTOR diff. de *adparatu et instructu nuptar.* quae deinceps Icti praesini aeui, peregrinorum tantummodo iurium principia edocti, Romano dotium iure aestimare, quidquod ipso dotis Romanae nomine incongrue satis appellare coeperunt.

(q) L. SAXON. Tit. VIII. §. I. seqq. Idem quoque innuere videtur TACITVS Cap. XVIII. quando refert: *accipere se* (sponsam) *quae liberis, inniolata ac digna reddat, quae nurus accipiunt, rursusque ad nepotes referat.* ADA KEMMERICH *Access. ad Instit.* Lib. I. Sect. III. Tit. XVIII. §. XXXIX. III. ESTOR diff. *an dotalit. cess. propt. sec. nupt.* Cap. VII. et VIII. BOEHMER *dict. diff.* Cap. II. §. XXXVII. Excell. HELLFELD diff. de *dotalit. illustr.* §. 65. apud STRVV *Iurisprud. Heroic.* Tom. III. Cap. III.

(r) Nota enim iuris regula: *vt conuentum fuit, ita ius esto.* Hinc etiam saepius id sibi in pactis dotalibus stipularae fuerunt feminae, praesertim illustres, vt, non obstantibus secundis nuptiis, dotem istam per omnem vitam perciperent. HENEL de *iur. dotal.* Cap. X. §. XVII.



leges contrarium nominatim disposuissent: (s) cui insequenti aeuo, facta a Ictis, morum forsán patriorum ignaris, dotis Romanae ac Germanicae commixtione, dotalitii seu vidualitii, *Leibzucht, Leibgeding, Leibguth, Wittumb, etc.* nomen dederunt maiores nostri. (t) His omnibus rite peractis, ab vtrisque desponsatis thalami consensio subsequerebatur, *es wurde das Ehebett beschriften, und die Decke beschlagen*; (u) quam adeo necessariam duxerunt veteres, vt hac nondum facta, nec pro consummato haberent matrimonium, nec vllos effectus ciuiles eidem tribuerent. (w)

## §. VII.

(s) Negari enim nequit, extare antiquas leges patrias, quibus perceptio dotis vxoribus ad dies vitae permittitur, licet vel maxime viduitatis statum nouis nuptiis commutauerint. Exemplo est L. *BVRGVND.* Tit. XXIV. §. I. et Tit. LXI. §. II.

(t) Conf. *BERGER select. dotalit. cap. §. VI.* Id quod tamen postea Icti, Romani adhuc iuris vsui adfuerit, cum Romanorum donatione propter nuptias vnum idemque esse iudicarunt, huius iura ad illud applicantes; *GVNDLING de emt. vxor.* Cap. II. §. XXII. vtut maxime haec inter se differrent. *SCHIEFER Exercit.* XXXVI. §. 36. *SCHERZIVS* diss. de dotalit. §. VI. Donatio enim propter nuptias, in securitatem dotis ab vxore allatae, a Iustiniano inuecta fuit, vt si forte maritus illam dissipauerit, haberet vxor, vnde damnum suum refarcire posset. L. fin. C. de donat. propt. nupt. *STRYK* V. M. Tit. de iure dot. §. XIV. Dotalitium autem viduae, etiamsi nihil ad maritum attulerit, alimentorum loco dedernebatur, et nihil aliud erat, quam ipsa dos germanica, vxori a marito constituta. Ill. *ENGAV Elem. iur. Germ.* Lib. I. Tit. XVII. §. CCCXC. seqq.

(u) *HÄRPRECHT* diss. de consensu thori coniugal. Noli tamen ad credendum induci, ac si actuale copulam carnis in actus huius solemnitate requisierint maiores nostri, quale quid affirmare audet *SANDE Decif. Frif.* Lib. II. Tit. V. def. I. Neutiquam; sed culcitrae per momentum saltim, obducto stragulo, incubuisse sufficiebat. *GVNDLING loc. cit.* p. 72. *HEINECCIUS E. I. G.* Lib. I. Tit. X. §. CCXII. n. \*. Quem etiam penes *GALLOS* morem paslim seruari docent *BERTR. ARGENTREVS Comment. ad Consult. Britann.* Art. CCCCXXIX. gloss. III. *GER. MAYNARD. Decif. Tholof.* Lib. I. Decif. LIV.

(w) Hinc *IVRE PROV. SAXON.* Lib. I. et III. Art. XLV. sancitum legitur: *Sie ist seine Genossin, und tritt in sein Recht, wenn sie in sein Bett tritt.* et *IVR. ALAM.* P. I. Art. CCCXXIV. *Sie mayß sein Genoss seyn, wenn sie an sein Bett gad.* Ideoque in plerisque antiquis libellis dotis cautum fuit, *dominium dotis in sponsam tunc demum transiturum, quando dies nuptiarum aduenerit, et Deus sponsum sponsamque coniunxerit.* *FORM. LINDENBROG.* Cap. LXXV. seqq. Multum ergo et in hoc discreparunt maiores, nostri a Ro-



## §. VII.

Posteaquam vero peregrinorum iurium praecepta ad Germanorum fora penetrarunt, multa ex antiquissimis illis maiorum institutis sensim exoleuisse videmus. Hodie enim nec coëmi amplius vxores, nec iisdem a maritis dotem offerri constat. (x) Neque inter priuatos dotalitium eis constitui moris est; (y) benetamen inter illustres atque nobiles, (z) patriorum quippe iurium antiquitus probatorum paulo tenaciores: quibus et hodie adhuc disparagia, *Mißbeyrathen*, admodum odiosa esse constat. (a) Consensio autem thalami post benedictionem

manis, quibus et nuptiae inter absentes sustinebantur, quorum nulla vnamquam corporum facta fuerat coniunctio, vtpote quam non ad ipsam matrimonii substantiam pertinere statuebant, per L. 30. ff. de reg. iur.

(x) Nostrae virgines, cum nubere velint, maritis dotem offerre tenentur, more Romanorum; et quo maior dos, eo carior sponsa: nec indotatarum facile apud nos celebrantur nuptiae. In statutis tamen ciuitatis ZITTAVIENSIS Tit. von ehlichen Gemunden und Hochzeiten. quiddam doti germanicae fere quodammodo simile inuenire mihi videor, sub *Morgengabae* nomine, quam quilibet sponsus suae sponsae, siue virgo fuerit siue vidua, siue diues siue inops, siue nobilis siue plebea, in ipso sponsalium die constituere tenetur, ad id, vt ipso post consummatum matrimonium aliquando prae vxore forsitan sine liberis mortuo, huius integra proprietas in superflitem viduam transferatur. Haec enim sunt verba cit. statuti: *So viel aber die Ehestiftung und Beredung der Ehe und Morgengabe betrifft, soll ein jeder Bürger und Einwohner, er sey Vater oder Vormund, oder Blutfreund, der seine Tochter, Mäudlein oder Freundin, einnem Wittwer oder Lunggesellen ehelichen*

*zugesagt und zu verheyrathen bedacht, auf den Tag der Verlobung und Eheberedung vom Brautigam die Morgengabe, nach der Stad alten Herkommen und Gebrauch abfordern.* Add. MYLII diff. de Morgengaba Zittaviensi.

(y) Sed harum viduae regulariter portionem, vti vocant, statutariam, prouincialibus aut municipalibus determinatam legibus, accipiunt; BERGER *Occ. iur.* Lib. II. Tit. IV. §. XLV. cui tamen per pacta dotalia derogari posse, infra docebitur.

(z) Apud quos hodie plerumque in quadruplicatis vsuris dotis ab vxore illatae consistere solet, ipsamque dotem ordinarie absorbet, nec, mutato licet viduitatis statu, facile amittitur. Conf. STRYK diff. de iur. viduar. nobil. Cap. I. §. XXII. Ill. ESTOR cit. diff. Cap. VII. §. VIII. quantum hoc casu heredibus mariti, dotalitii redemptio, per praesertionem certae ac determinatae pecuniae summae facienda, potissimum inter illustres, pactis quandoque referuari soleat.

(a) SCHROETER diff. de differ. iur. Rom. et Germ. circa connub. impar. Cap. IV. Ill. ESTOR de odio in matr. inaequ. Cap. V.



nem Sacerdotalem, (b) Iure Canonico introductam, plurimis adhucdum prouincialibus pariter ac statutariis legibus requiritur, ad id, vt iura, ex matrimonio consummato proficiscencia, mutuo participant noui coniuges. (c)

## CAPVT III.

DE

### FEMINA VXORE.

§. I.

Sponsa, quamprimum post copulam sacerdotalem (d) cum sponso suo thalamum conscendit, vxor mariti, in cuius tutelarem potestatem transit, (e) laborum periculorumque socia adpel-

(b) Vid not. d) ad §. I. Cap. seq.

(c) Quorum praeipue spectant, IVS SAX. ELECT. P. III. Const. XIX. IVS PROV. WVRTEMBERG. P. IV. Tit. *Wie Eheleute* §. I. IVS SILESTACVM Art. VII. Cap. II. IVS BADENSE ap. HARPRECHT *Collat. Iur. Ciu. et March. Bad.* §. VIII. IVS LVBEENSE ap. MÈVIUM *Comment.* Lib. II. Tit. II. Art. XII. n. 271. REFORM. FRANCOVRT. P. III. Tit. III. §. V. REFORM. NORIMBERG. Tit. XXVIII. L. I. §. *Was nun beede Eheleut.* IVS PRVSS. Lib. V. Art. V. §. VII. aliaque plura. Conf. HOFFMANNI *Discurs. hist. Iurid. de die ac nocte nupt.* Membr. II. Cap. I. §. IX. BECKII *diff. de iurib. fem. Norimb.* Cap. III. §. IV. BESOLD *Thesaur. pract. voc. Bette, das Bette beschreiben.*

(d) Quodli enim ante benedictionem sacerdotalem Sponsus sponsam suam carnaliter cognouerit, tantum abest, vt, (quicquid etiam obloquatur BAYER *diff. de connub. matrim. per-*

*fect. ante copul. sacerdot.*) pro legitima matrimonii consummatione reputari illud queat, vt potius, subsecuta licet postea hierologia sacra, sed nondum denno facta iusta adscensione thori, matrimonium pro necdum adimpleto habendum sit, adeoque nec, mortuo forsân interim sponso, viduae vlla perfecti coniugii iura tribui, et quod inde sequitur nec dotalitium nec morgengaba etc. ab heredibus defuncti praestari debeant. CARPZOV P. III. Const. XIX. def. 1. Quae enim contra ius fiunt, pro non factis haberi debent. C. 64. *de R. J.* in 6.

(e) Ita docet IVS PROV. SAXONICVM Lib. I. Art. XXXI. *Wenn ein Mann ein Weib nimmt, so nimmt er sie in sein Gewehr, und alles ihr Gut, zu rechter Vormundschaft.* Et Lib. III. Art. XLV. *Der Mann ist Vormund seines Weibes, zu Hand, als sie ihm getrauet wird etc.* Add. HEINECCI *diff. de marito tut. et curat. vxor. legit.* Hinc quoque vitata passim in foris for-



adpellatur, ac iuribus, quae per legum morumque Germaniae dispositionem vxoribus legitimis competunt, gaudere incipit. (f).

## §. II.

Huc primo quidem spectat, quod non solum mariti sui nomen, verum etiam eiusdem dignitatem, (g) indeque pendentem prae aliis praecedentiam ac titulum, (h) nec non forum, domicilium, (i) ceteraque iura participet, (k) eoque mortuo vidua retineat, quandiu nempe in viduitatis statu permanferit, nec ad secundas nuptias tranferit. (l)

## §. III.

mula: in ebelicher Vormundschaft seu als Ehevogt; quam adhibere solent mariti, pro vxoribus in iudicio comparentes, negotiumue ab iis gestum approbantes.

(f) III. ENGAV E. I. G. Lib. I. Tit. XIV. §. CCCLIX.

(g) Quoddi autem femina, equestris vel plebeii ordinis, principi nupferit, propterea tamen dignitatem ac nobilitatem mariti illustris non consequitur, nisi ex gratia Caesaris, qui fons omnis nobilitatis est, speciatim illam impetrauerit. Idem dicendum, si plebeia nobili fuerit coniugaliter sociata; Conf. a LVDEWIG *diff. iur. Rom. et germ. in dignit. vxor.* Diff. II. De LVDOLF *Tr. de iur. femin. illustr.* P. I. §. XII. p. m. 25, quicquid contradicant MYLER *diff. de matrim. nob. cum ignob. aliique.*

(h) Excipitur tamen vxor illustris, marito eiusdem quidem nobilitatis, gradu autem inferiori, nupta; quippe quae natiuam suam dignitatem, titulumque a parentibus acceptum, retinet. Sic v. g. Regis filia a principe ducta non *Ibro Hochfürstl. Durchl.* sed *Ibro Königl. Hobeit* vocari, ceterisque principum vxoribus in itu festiue prae-

ferti solet. III. ENGAV l. c. Lib. I. Tit. XIV. §. CCCLIX. n. \*. ibique cit. de LVDOLF *diff. tract. P. I. §. XIV.* MYLER AB EHRENBACH *Gamolog.* Cap. V. §. XXIV. seqq.

(i) Hinc etiam maritum, quoties domicilium mutauerit, sequi tenetur, nisi pactis dotalibus hoc sibi referuauerit, vt ipsa inuita sedem suam in alium locum non transferret. Id quod tamen de voluntaria tantum mutatione, non item necessaria, capiendum erit.

(k) STIRN *de eo quod inustum est circa nuptas.* P. II. Cap. IV. BERGER *Occ. iur.* Lib. I. Tit. III. §. VII. Nisi matrimonium ad L. Morganaticam fuerit contractum, quae vxorem, praeter certam bonorum partem, aut pecuniae summam, pactis antenuptialibus derminatam, nullis aliis perfecti matrimonii iuribus sui permittit. COCCEN *diff. de leg. morganat.* SCWEDER *de matrim. ad morganat.* Qualia vero connubia vix inter priuatos irri solent, neque ab his sine expresso superioris indulcu irri queunt. BEYER *delin. I. G.* Cap. XXIV. §. XII. BRVNEM. *Iur. Eccles.* Lib. II. Cap. XVI. §. VI.

(l) Tunc enim prioris mariti iura amittit, eaque, quibus, nouus coniux

D



*Secundo* istuc pertinet Morgengabae petitio, (*m*) utpote quae iam ab antiquissimis inde temporibus, (*n*) altero nuptiarum die iam ab antiquissimis inde temporibus, (*o*) nouae coniugi, in signum legitime consummati matrimonii, (*p*) a marito praestari debuit: cuius tamen quanti-

gaudet, consequitur: ceu infra Cap. VII. docebimus. Conf. MULLER *diff. de odio secund. nupt.* Cap. II.

(*m*) *Morgengaba* feu, quod idem est, *Morginsap*, *Morgengeua*, *Morgengift* etc. nobis hoc loco denotat idem matutinum, vxori postdie nuptiarum die, in signum consummati per legitimam thori adscensionem matrimonii, a marito datum. Ira hanc vocem interpretatur GLOSSA AD IVS WEICHBILD. Art. XII. verbis: *Morgengab ist eine solche Gabe, die ein jeglicher Mann seinem Weibe gibt des Morgens, als wenn er mit ihr zu tische geht.* Cui consentit IVS PROV. SAXON. Lib. I. Art. XX. Per abusum tamen plures adhuc significatus huic vocabulo contra naturalem et genuinam ipsius etymologiam tribuerunt. Sic enim v. g. pars illa, quae viduabus in Saxonia ex defuncti mariti bonis, speciatim pecudibus femellis, debetur, etiam *Morgengaba* vocatur IVR. PROV. SAX. Lib. I. Art. XXIV. Ab aliis *morgengabam* quandoque cum dote germanica, quandoque cum Romanorum donatione propter nuptias, consulam fuisse, inter alios pluribus exponit laudatus GVNDLING *dict. Tr. de emt. vxor.* Cap. III. §. XVI. seqq.

(*n*) Iam ante Speculorum tempora apud maiores nostros hanc *Morgengabam* in vsu fuisse patet ex L. RIVAR. Tit. XXXVII. §. II. L. LANGOB. LIVTPR. Lib. IV. Cap. I. L. ALAM.

Tit. LVI. §. II. L. BYRGVND. Tit. XLII. §. II.

(*o*) Id quod vel ipsa vocabuli etymologia denotare videtur. Ideoque etiam in cit. supra not. *m*) GLOSSA AD IVS WEICHB. vocatur *eine solche Gabe, die ein jeglicher Mann seinem Weibe gibt des Morgens etc.* Quamuis et alio post nuptias tempore hanc *morgengabae* traditionem fieri posse vix dubitauerim. Conf. SCHROETER *diff. de iur. viduar.* Th. LIV. BEYER *loc. cit.* Cap. II. Cap. XVI. §. XXIV. Id quod etiam Auctor iamiam allegatae Glossae ad I. W. statuit, verbis: *Diese Morgengab mag auch der Mann seinem Weibe geben wenn er will.*

(*p*) Supra Cap. II. §. VI. in fine dictum fuit, maiores nostros matrimonium nullum pro consummato habuisse, nisi ipsa thalami consensio subsecuta fuerit. Quam factam esse ut probare possit vxor, *morgengaba* introducta fuit, legitime adimpleti matrimonii symbolum: adeoque non solum virgini, sed et viduae ductae debetur; Conf. a LVDEWIG *Comment. in aur. Bull.* Tom. I. Tit. XXV. §. V. quae plenum in illam dominium, liberamque de ea quouis modo disponendi facultatem consequitur. IVS PROV. SAX. Lib. I. Art. XX. *Die Frau erbet die Morgengabe auf ihre Erben, und mag danit rben und lasen, was sie will.* Add. GVNDLING *cit. Tr. de emt. vxor.* Cap. IV. §. III. seqq. BOEHMER *diff. de secund. nupt. illustr. persf.* Cap. II. §. XLII.



quantitas ab arbitrio donatoris dependet, (g) nisi aut lege prouinciali, (r) aut, quod quidem vtplurimum fieri solet, pactis antenuptialibus, (s) fuerit determinata. Quamuis negari nequeat, eam nostra aetate vix amplius, nisi promissam antea, deberi: (t) quam vero promissionem rarius hodie inter ciuici ordinis homines vsu venire, palam est. (u)

## §. IV.

*Tertio* etiam vxor, sicuti laborum periculorumque socia, ita et bonorum, tam collatorum quam adquiretorum, fit particeps, eaque cum marito pro indiuiso possidet, nisi pactis dotalibus aliud fuerit prouisum. (x) Neque enim Germani, vti quidem Romani, maritorum vxorumque bona adeo subtiliter inter se discernabant, sed quicquid vterque coniux in matrimonium intulerat, eoque stante indutria sua acquisuerat, inter te commune habebant; et sicuti vnum ipsorum corpus esse crediderunt, vnamque vitam, ita et vnum solummodo ipsorum erat patrimonium, cu-

D 2

ius

Insignem proinde errorem errant, qui in remunerationem ereptae virginittatis morgengabam constitutam fuisse existimant. Amplexus fuit hanc sententiam compilator IVR. PROV. BAVAR. Lib. I. Art. I. quem secuti sunt CASP. SCHMID *Comment. ad Ius Bavar.* Tom. III. p. 193. REYER *cit. loc.* Lib. I. Cap. XXIV. §. I. Lib. II. Cap. XVI. §. III. BERGER *Oec. Iur.* Lib. I. Tit. III. §. XII. n. 6.

(g) HEINECCIUS *E. I. G.* Lib. I. Tit. XI. §. CCLVII. III. ENGAV Lib. I. Tit. XV. §. CCCLXIV.

(r) Qualem determinationem quodammodo deprehendimus in cit. L. LANGOB. LIVITTE. Lib. IV. Cap. I. Ibi: *Morgincap. nolumus vt amplius sit, nisi quarta pars de eius substantia, qui ipsum Morgincap facit. Si quidem minus voluerit dare de rebus suis, quam ipsa quarta portio sit, habeat in omni-*

*bus licentiam dandi, quantum voluerit. Nam super ipsam quartam portionem dare nullatenus poterit.* IVS BAVARICVM praecipit, vt ne Morgengaba quantitatem tertiae partis, dotis ab vxore allatae, egrediatur. SCHMID *cit. Comm.* Tom. II. p. 52. IN NEOMARCHIA feminae quae M. imperiales attulit, X. ducati, morgengabae loco, praestantur. Vid. *Constitution für die Ritterschaft der Neumark de A.* 1724. §. 34. ap. MYLIUM *Corp. Const. March.* p. 147.

(s) Excellent. PÜTTER *Elem. iur. germ.* §. 251.

(t) REYER *d. I.* Lib. II. Cap. XVI. §. XIV.

(u) DN. PÜTTER *cit. loc.* §. 255.

(x) IDEM §. 316. n. I. HEINECCIUS *l. c.* Lib. I. Tit. XII. §. CCLXXXVI. n. IV. III. ENGAV *Ibid.* Lib. I. Tit. XVI. §. CCCLXXX.



ius proprietatis atque dominum; ad vtrumque coniugem aequaliter pertinebat. (y).

## §. V.

Probant vniuersalem istam, bonorum inter coniuges, apud Germanos communionem, antiquissima historiarum legumque patriarum monumenta. Vtut enim vetustissimus Teutonicarum rerum scriptor TACITVS, in aureo suo *de Moribus Germanorum* libello, expresse huius iuris mentionem non faciat (z), clarius tamen illud apud antiquos Gallos, veterum Germanorum quasi consanguineos, in vsu fuisse, testatur IVLIVS CAESAR, (a) verbis: *Huius omnis pecuniae* (h. e. omnium bonorum a coniugibus collatorum et adquiretorum) *coniunctim ratio habetur, fructusque seruantur. Vter eorum vita superarit, ad eum pars viriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit.* Nec obstat, quod plurimae veterum Germanicarum gentium, quae adhuc extant, leges, de connubiali hacce bonorum omnium societate prorsus sileant; (b) paucae vero de communionem particulari tantum, ex adhaerentis proveniente, loquantur. (c) Neque enim quempiam historiae iuris patrii vel quodammodo gnarum, latere crediderim, quod paucae vix istorum populorum leges integrae et incorruptae ad nos peruenerint, nec omnes ac singulae eorum consuetudines iis contineantur; adeoque a silentio ha-

rum,

(y) Magnificus atque Illustris BROOKES *diff. de bonor. coniug. int. Hamburg. commun.* HOFFMANN *diff. de commun. bonor. coniug.* KEMMERICH *diff. de societ. bonor. connub. sec. statut. Memming. vögt. diff. de iure coniug. in bona.* Hinc et doctissimus BELGAE IOH. CATSIVS P. II. *Emblem. XXII.* recte scribit. *Maiorum nostrorum aeuo, cum adhuc extarent veteris vestigia recti, vna erat et simplex matrimonii inuendi ratio, ut iuxta cum nuptiis omnium bonorum societas videretur contracta.*

(z) Non desunt tamen, qui quaedam huius iuris vestigia etiam apud celebratissimum huncce historicum se re-

perisse existimant; in verbis, quibus vxores Germanorum *laborum periculisque socias* appellat. *Tr. cit. Cap. XVIII.*

(a) *Comment. de bello Gallico Lib. VI. Cap. XIX.*

(b) Nulla enim in LL. Alamannorum, Boioariorum, Anglonum, Burgundionum, Frisionum, huius communionis occurrit mentio.

(c) Quorum spectant L. RIPVAE. Tit. XXXVII. §. II. L. WISIGOTH. Lib. IV. Tit. II. §. XVI. L. SAXONVM Tit. VIII. CAPITVL. CAROL. M. ET LVD. PII Lib. IV. §. IX. Lib. V. §. CCXCV.



rum, quae maximam insuper partem Romanorum instituta iam redolent, reliquiarum ad defectum alicuius iuris, quod antea tamen in usu fuisse aliunde probabile est, argumentum ducere vix liceat. Sed hoc faciemus missum. Medio saltem aevo vniuersalem hancce bonorum inter coniuges communionem per totam Germaniam obtinuisse, tam certum est, quam quod certissimum. Commune de eo testimonium ferunt duo illa specula; quorum oraculis ista quidem aetate omnes Germanos vixisse constat. Ita enim habet IVS PROV. SAXONICVM: (d) *Mann und Weib haben nicht gezweyet Gut zu ikrem Leben.* Et porro: (e) *Mann und Weib sitzen miteinander in gleicher Gewehr.* IVS PROV. SVEVICVM: (f) *Mann und Weib mogen nicht gehalten Gut gezweyet.* Et paulo ante: (g) *Stirbet einer Frauen ihr Mann, sie bleibet in des Mannes Gut ungetheilet mit ihren Kindern.* Quibuscum conueniunt LVBECENSIVM iura statutaria, (h) et obuia passim paroemiae: *Huth bey Schleyer, Schleyer bey Huth. Wenn die Decke über dem Kopf ist, sind die Eheleute gleich reich. Leib an Leib, Gut an Gut. Langst Leib, lengst Gut. Der letzte macht die Thür zu.* (i) et quae sunt reliquae.

## §. VI.

Verum enimvero ab antiquissimo et vniuersali hocce iure subsequente tamen tempore, tantum non vbique, paulatim recesserunt Teutones nostri. Alibi enim vniuersalis ista bonorum inter coniuges societas hodie adhucdum obtinet; (k) alibi

D 3 parti-

(d) Lib. I. Art. XXXI.

(e) Lib. I. Art. XLV.

(f) Cap. XLVI.

(g) Cap. XXXIV.

(h) Lib. I. Tit. V. Art. V. Cui add. Lib. II. Tit. II. Art. VI. vbi bona coniugum vocantur *gesamntes Gut*; et Art. XXVI. XXVIII. XXX. vbi dicuntur *gemeines Gut*.

(i) Conf. HERT. *Paroem. iur.* Lib. I. §. LXIX. MATTHAEI *Paroem. HAWERNER* diss. de pact. dotal. sub formula:

*Hut bey Schleyer etc.* WEHNER *Obs. pract.* voc. *Guth.* KNORRE de usu paroem. iur. germ. *Der letzte thut die thür zu.* MASCOV. *Prolus. de paroem. iur. germ.* *Langst Leib, lengst Gut.*

(k) Probat adhuc hodie vniuersalem bonorum inter coniuges communionem plurimae, provinciales pariter ac statutariae, leges et consuetudines; e. g. SLESVICENSIVM, Conf. CYPRAEVS de sponsal. Cap. V. §. XXXV. LAVTERBACH. diss. de societ. bonor.



particularis tantum, ad acquæstum solummodo restricta, valet; (l) alibi vtraque Romano iure profligata prorsus exulat. (m) Proinde cuiusque loci et regionis, statutaria pariter ac prouincia-

coniu. Cap. I. §. IV. EIDERSTADENSIVM, teste VOGT. *cit. diff. proleg. §. XIII.* necnon FULDENSIVM, apud DE LVDOLPH *Manissa ad Obs. forens. Tom. III. p. 612.* BREMENSIVM, P. III. Tit. III. §. I. A RHEDEN *diff. de success. coniug. sec. stat. Brem. HAMBVRGENSIVM, P. III. Tit. III. §. III. seqq. Magnif. et Ill. BROKES diff. diff. §. XXII. LVREGENSIVM, Lib. I. Tit. V. Art. V. Lib. II. Tit. II. Art. XII. seqq. MEVIUS Comment. ad I. L. Lib. I. Tit. V. Art. V. n. 16. seqq. MINDENSIVM, Lib. I. Tit. XIII. Art. VI. SVSATENSIVM, Vid. Declaration über einige Statuten de A. MDCCXLIV. in nostris Memorab. Sasat. p. 247. HILDESIENSIVM, Conf. ORDIN. IV. HILDES. de A. MDCLXIX. Tit. Wie Eheleuthe einander ohne Testament erben. Ill. G. L. BOEHMER *diff. de iurib. et obligat. coniug. superfl. ex comm. bon. uniu. iuxta stat. Hild. §. VII. AVGVSTANORVM, Vid. FRIESE diff. de success. coniug. sec. mor. August. §. VI. YLMENSIVM, P. I. Tit. II. WEISENBVRGENSIVM, Tit. III. von Eheleuthe etc. CELLENSIVM Tit. von Weib und Mannen. §. Verstürbe aber etc. SVBINFVRTHENSIVM, Sect. IV. Tit. LIV. MVLHVSANORVM, Lib. IV. Art. XX. §. I. BRVNSVICENSIVM, P. I. Art. XXX. seq. Apud LEIBNITIVM *Script. rer. Brunsvic. Tom. III. p. 436.* GOSLARIENSIVM, Art. LXXXIII. ap. EVND. p. 498. NORIMBERGENSIVM, Vid. REFORM. NOR. Tit. XXVIII. §. was nun beede Eheleuthe etc. BECK *diff. de iur. femin. Norimb. Cap. III. §. II. LEMGOVIENSIVM, quorum extractum videre licet apud perill. Dn. DE SENKENBERG. diff. de iura egress. e potest.***

*parant. Germ. et Rom. in append. N. I. p. 30. GYSTRAVIENSIVM, ap. perill. Dn. DE WESTPHALEN Monum. inedit. Tom. I. p. 2062. CLIVENSIVM et MARGANORVM, Vid. A LVDWIG diff. de success. coniug. et dissort. liber. Cap. V. §. III. BRANDENBVRGENSIVM, ap. perill. de WESTPHALEN l. c. p. 2059. RAVENSBERGENSIVM, Conf. HERT. diff. de sociat. fact. contr. Sect. I. §. IV. LVNEBVRGENSIVM, P. II. Tit. I. Add. a DASSEL *Consuet. Lunb. Art. XI. RAMBERGENSIVM, apud IVST. VERACIVM Consuet. Bamberg. P. II. Qu. I. seqq. VERDENSIUM atque HOYENSIVM. Vid. RVFENDORF. Obs. Iur. uniu. Obs. LXXXVI.**

(l) Particularem bonorum coniugium communionem confirmant REFORM. FRANCOF. P. V. Tit. V. Art. 2. Add. HAHN *de collat. iur. Rom. cum stat. Francof. circa succ. coniug.* et LYNCCKER *diff. de acquæst. coniug. Francof. apud L. B. de SENKENBERG Select. iur. et histior. Tom. I. p. 411. STATUTA FRANKENHVSANA, Lib. III. Art. XLVI. Conf. BODINI diff. de collat. iur. Rom. et Frankenb. circa succ. coniug. TREVIRENSIA, Tit. VI. §. VIII. Vid. WILLMART. diff. inaug. de nar. societ. et stat. coniug. secund. princip. Iur. Elect. Treuir. IVS BAVARICVM, BADENSE, PALATINVM, WVRTEMBERGICVM etc. Conf. HOFFMANN *cit. diff. de commun. bonor. coniug. §. III. seqq. WÜRTZII diff. de bonis coniug. illat. et acquisit. §. VI.**

(m) Excell. PÜTTER *loc. cit. §. 263. seqq.*



lia, iura probe attendat necesse est, qui, quid in hoc passu vxoribus iuris competat, determinare voluerit; quae singula hoc loco in medium proferre nimis prolixum foret. Illud solum intuitu diuersae huius coniugalis bonorum societatis paucis adhuc notandum erit, quod, vbi vniuersalis ista communio adhuc viget, vxor quoque omnia prorsus debita, tam ante initum matrimonium, quam durante eo, facta, expungere debeat, (n) iuxta paroemiam: *Die dem Manne traut, traut auch den Schulden.* (o) His vero in locis, quibus particularis tantum bonorum communio vsu seruatur, ipsa quoque de nominibus solummodo stante coniugio contractis tenetur. (p) Nemo enim magis onerandus

(n) Nisi vel expressis legibus, vel patris antenuptialibus, aliud fuerit constitutum, aut, quod quorundam locorum statutis vxoribus permixtum est, flexibili cessionis bonorum communium beneficio vri voluerit, vi cuius, si forsitan debitorum summa praecedentem communis patrimonii massam excefferis, ab onere vltierus soluendi liberatur, nec, licet postea ad meliorem fortunam peruenerit, a creditoribus amplius conueniri potest. IVS LVBEIC. Lib. III. Tit. I. Art. X. cui add. MEYER Comment. ad h. l. IVS HAMBURG. P. II. Tit. XI. Art. XV. Simile fere quid LL. BVRGVDIONVM Tit. LXV. iam constitutum legitur verbis: *Si qua mulier vidua filios habens, si et illa et filii sui cessionem de bonis mariti, qui defunctus est, fecerint, nullam ex debito ipsius repetitionem aut calumniam patientur.*

(o) Ill. G. L. BOEHMER cit. diss. de iurib. et oblig. conj. superfl. ex commun. bonor. vniu. §. XX.

(p) I. R. BOEHMER diss. de aeris alieni int. conj. Hamb. comm. §. XX. in fine. LAVTERBACH diss. de aere alieno in societ. conj. contract. solv. Cap. IV. seq. Nisi, quod Iure statutario TREVIRENSI valet, lucris con-

iugalibus post mortem matri, tempestive ac legitimo modo, renuntiare maluerit. Quae tamen renuntiatio locum non habet, quando vxor vel ipsa in contrahenda debita consenserit, vel cum marito mercaturam exercuerit, cautionum publicae habuerit, quo casu nihilominus de nominibus, mercaturae aut cautionum intuitu factis, tenetur. Ita enim habent verba statuti: Tit. VI. §. XXX. *Und obwohlen das Weib, dafern sie auf allen ihro aus der Ehe zustehenden Gewinn, und dasjenige, was ihro in Krafft Ehe-Pacten oder sonst durch unsere Landes-Ordnung zugelegt wird, inwendig Monatsfrist nach Absterben des Ehegemahls gerichtlich verzeihet, auch auf Begehren der Creditoren oder des Manns Erben eydlich beheuret, von denen lucris coniugalibus nichts verwendet noch entföhret zu haben, oder doch das verrückte wiederum treulich beschaffet, sich ihres Ehegattens Schulden allerdings entschlagen, - - - so vermag sie doch im Fall sie selbst mit contrahirt und die Schulden aufgemacht, oder mit ibren Mann offene Kaufmanns-Wirtschaft oder gesamte Partbierung getrieben, sich solchen Renunciations-Beneficii nicht bedienen etc.*



randus est, quam honoratus fuit, (y) et in omni societate  
damni et lucri eadem debet esse ratio: (z) Vbi denique omnem  
plane coniugalem bonorum communionem hinc inde peregrin  
norum iurium cultus proscripsit, vxor quoque nullo mariti sui  
aere alieno obstringitur, sed ipso defuncto, aut existente forsan  
creditorum concursu, dotem ac illata sua, quorum respectu  
praelationis iure tacitaque in bonis mariti hypotheca gaudet, (s)  
repetit; (t) quae superlunt, creditoribus relinquit. Et hinc na  
tam puto esse paroemiam: *Böse Schuldner kriechen den Weibern  
unter den Rock, und verbergen sich für ihren Creditoren.*

## S. VII.

Quarto etiam vxor, eandem in liberos ex ipsa procreatos  
potestatem consequitur, quam marito in eosdem concesserunt  
leges. (u) Hinc ab ipsius pariter ac patris arbitrio dependent,  
nec citra eius praescriptum atque consensum ullam maioris mo  
menti actionem suscipere nedum adimplere queunt. Quia po  
tius, si quid inscia aut inuita matre perfecerint, illud pro nullo  
habendum esse iubent leges; (x) matrique imponitur ac re  
fractarios castigandi facultatem tribuunt. Proinde WISIGO  
THORVM L. cautum legitur: (y) *Flagellandi et corripiendi libe  
ros, quamdiu sunt in familia constituti, tam auo quam auiar,  
seu patri quam matri, potestas manebit.*

## S. VIII.

(y) per L. I. §. 17. ff. ad Scam Tre  
bell.

(z) §. I. Inst. de societ.

(s) L. II. §. fin. C. de pact. conu. L. II.  
§. r. C. Qui pot. in pign. L. 29. C. de iur.  
dot. Add. PEREZ Obj. ad b. r. n. 17.  
seq.

(t) RAYS diff. de repetit. dot. per  
illat.

(u) Conf. A LVDEWIG Opusc. mis  
cell. Tom. II. p. 1039. not. cc.) Secus  
ac penes Romanos, qui nullam plane  
in liberos potestatem concesserunt ma

tribus, solis aui, iisue mortuis patribus,  
eam vindicantes. *Idem loc. cit. p. 115.*

(x) Ceu conspiciere licet in nuptiis  
inuita matre contractis, quas nutri  
quam sustinuisse maiores nostros, ex  
adductis supra Cap. II. iuris partii tex  
tibus liquet. Add. A LVDEWIG diff.  
de differ. iur. Rom. et Germ. in Consensu  
connub. extra patris Diff. I. Cap. II.

(y) Lib. IV. Tit. V. §. I. Add. Tit. II.  
§. XIII.



## §. VIII.

*Denique* etiam inspectionem oeconomiae, reiue familiaris curam, vxoribus aequaliter competere, docent mores patrii, neque huius intuitu ipsis inconsultis grauioribus negotiis se immiscere volunt maritos. Hinc saepius in antiquioribus chartarum monumentis, etiam inter personas illustres, obuia sunt exempla, quae, quanti muliebria consilia aestimauerint maiores nostri, dilucide probant. Quin adhuc hodie inter moratiores coniuges saepius vsu venire videmus, vt, si forsán quis vxoratum quendam paulo difficiliori negotio implicare voluerit, consensum suum in illud non declaret ante, quam cum thori sui sociata super eo deliberauerit, huiusque iudicium audierit. (z)

## §. IX.

Quoniam tamen vxorem per nuptias simul et in tutelarem mariti sui potestatem transire diximus, (§. I.) vi cuius hic non solum personam eius dirigendi, verum et ipsius bona administrandi, eorumque fructus percipiendi, facultatem adipiscitur: eam quoque in omnibus a mariti sui nutu pendere, et ad eiusdem voluntatem sese accommodare debere, prono sequitur alueo. Inde etiam factum, vt si forsán super re quadam dissensus inter coniuges exoritur, mariti voeem potioem haberi ac praeferrí velint mores, eique vxorem morosam ac renitentem modice coercendi potestatem relinquunt; (a) neque huic absolute maritali consensu de rebus suis quidquam alienare, mutuumue contrahere, aut vlló modo semet obligare permittant: (b) nisi quaedam istorum iurium in antenuptialibus pactis expresse

(z) Excell. PÜTTER *E.I.G.* §. 306. Proinde etiam TACITVS *de M. G.* cap. VIII. veteres Germanos vxorum neque consilia adspersatos fuisse, neque eorum responsa neglexisse, discretis verbis meminit.

(a) III. ENGAV *loc. cit.* Lib. I. Tit. XVIII. §. CCCC.

(b) TENZEL *diff. de cura maritali.*

HEINECCIUS *diff. diff.* Cap. II. §. XXIII. Proinde IVS PROV. ALAM. Cap. 307. expressis verbis praecipit: Ein Weib mag ihr Gut ohne ihres Mannes Urlaub nicht hinweg geben, noch verkaufen; noch hinlassen, weder eigen, noch Leibgeding, noch Zinsgut, noch fahrende Gut, da er mit ihr an der Gewere sizet, das ist davon, dass er ihr Vogt ist.



preſſe ſibi reſeruauerit. Tunc enim adplicatur regula: vti conuentum fuit, ita ius eſto.

## CAPVT IV.

DE

### FEMINA PRAEGNANTE

§. I.

**M**agnus ſemper praegnantium in iure fuit fauor, multaque ſingularia in ipſarum commodum conſtituerunt mores legesque patriae, antiquae pariter ac nouae. (c) Neque enim feminae grauidae ex quacunque cauſa vim vllam inferri permittunt; fecus qui fecerint, grauius puniri volunt, quam violantes aliam. Id quod luculenter fatiſ probat SALICA L. maiorem mulctam pro compositione mulieris praegnantis occiſae ſtatuens, quam alius, quae praegnans non extiterit, verbis: (d) *Si quis feminam ingenuam grauidam trahatit, vt ipſa femina fuerit mortua, XXVIII. den. qui faciunt ſolid. DCC. culpabilis iudicetur.*

§. II.

(c) Apud antiquos PANNONES in tanto olim honore feminas grauidas fuiſſe, vt ſi quis ipſis obuiam veniret, eaſdem manu per plateam domum deduceret, nec non CARTHAGINENSES homicidis, ad praegnantem conſugientibus eamque prehendentibus, ius aſyli conceſſiſſe, refert PETR. MÜLLER diſſ. *de iure praegnantium*, Cap. IV. Th. XXV. Vbi quoque ESLINGAE, Sueuiae oppidi, morem obtinere tradit, vt, ſinita quotannis vindemia, quilibet a Senatu vnam menſuram vini dono accipiat, mulier autem grauida duas.

(d) Tit. XXVIII. §. IV. apud GEORGISCH Corp. Iur. Germ. p. 61. (Extra hunc caſum pro compositione feminae occiſae ſecundum hanc legem XXIII. denarii, qui faciunt DC. ſolidos, exigebantur. Tit. LXXV. §. IV.) Simile quid praecipit IVS PROV. ALAM. Cap. 148. *Kriegend zween mit einander, und ihr einer hat ein tragend Weib, die kommt gelauſen, und will helfen ibrem Mann, und wird geſteſſen alſo hart, das ſie ein unzeitig Kind gewinner, er ſoll ibrem Mann geben, was er will, ſtirbet aber ſie, man ſoll ihm ſein Leben nennen.*



## §. II.

Tantum quoque adest, vt praegnantem si perpetrati forsan criminis accusata fuerit, dum vterum gerit, torqueri permittant leges, vt potius disertis verbis illud prohibeant, (e) ino ne quaestione quidem eam terreri, sed ista omnia, vsque ad quadragesimum post editum partum diem, a iudice differri velint: (f) qui contrarium si fecerit, poenam arbitriariam incurrit. (g) Quidquod eousque istarum personarum processit fauor, vt feminam grauidam, partui praesertim vicinam, nec facile in iudicium vocari, aut ad iusiurandum inuitam compelli, nec propter ciuilia debita vel leuiora delicta in custodiam conici posse, Doctores statuunt. (h)

## §. III.

Multo minus autem poenam capitalem corpusue afficientem in muliere praegnante, criminis condemnata, executioni dari concedunt; sed si delictum morte dignum ab huiusmodi foemina perpetratum, supplicium differri iubent mores legesque, vsque dum partum, quem in vtero gestat, enixa fuerit. (i) Quod si vero delictum ita comparatum fuerit, vt poena tantum-

E 2

tummo-

(e) CAPITVL. CAR. M. ET LVD. P. Lib. VII. §. CXCVI. apud EVND. p. 1659. Idem habet IVS PRUSSICVM P. III. Lib. VI. Tit. 3. Art. 7. Gleichbergestalt und fürs andere werden auch Weiber, so mit schwangern Leibe geben - - - ausgenommen, welcher man deshalb billig mit der peinlichen Frage verschonet etc. Add. ORDIN. CRIM. MAGDEB. Cap. IX. §. 8. CARPZOV. *prax. crim.* Qu. 118. R. 30.

(f) NEANDER *prax. crimin.* Cap. XII. §. 3. III. ENGAU *Elem. iur. crim.* Lib. II. Tit. XIX. Memb. II. §. CCXXXII. et M. III. §. CCXLIV. IOH. SAM. BOEHMER *diff. de eo quod iust. circa tortur. valetud.* §. XXVII.

(g) MÜLLER *cit. diff.* Cap. IV. Th. X.

(h) PAGENSTECHER *Tr. de iure ventris*, P. VIII. Sect. I. p. 280. seqq. MÜLLER *l. c.* Cap. IV. Th. VI.

(i) THEODORICI *Colleg. crimin.* Cap. X. aph. 5. nr. 67. Hinc IURE PROV. ALAM. Cap. 144. cautum legitur: Mann soll über kein Weib richten, die lebendige Kind treget, haber denn zu Haut und Haar, ob man ibrs nicht glauben will, so sollen sie zwo erbar Hausfrauen besehen an einer heimlichen statt, sagen dann die bey ihren Eyden, daß sie ein lebendiges Kind trag, mann soll sie nicht tadten, wie gras die Schuld ist etc.



rummodo corporis, vti vocant, afflictiua decernenda sit, pariter executionis terminus, donec post editum partum, prorogandus, (k) aut loco poenae ordinariae extraordinaria alia mitior irroganda est: quod quidem plerumque etiam obseruari constat. Hinc si v. c. poena carceris adiudicata fuerit, in pecuniariam; si relegatio cum fastigatione dicitata, in nudam relegationem, tradita delinquenti a lictore in manum virga, mutari solet.

## §. IV.

Porro etiam leges patriae vxorem praegnantem defuncto marito, possessione bonorum, quorum embryo aliquando nasciturus heres ac dominus extiturus foret, legitime apprehensa priuari prohibent. Quin potius ea delectam in integrum restitui, aut si possessionem nondum impetrauerit, in illam immitteri, et, vsque dum pepererit, in eadem defendi, iubent grauidam. Ceu inter alia docent IUR. PROV. SAXONICI verba: (l) *Das Weib soll man nicht verweisen aus des Mannes Gütern, wenn er stirbt, die ein Kind trägt, ehor, denn sie des Kindes genesen.* Cui consentit IUS PROV. ALAMANNICVM: (m) *Ob am Weyb Chind tregt, daz ir Man stirbt, daz Weyb sol man nicht weysen aus irs Mannes Gut, wann er gestirbt, dew Chind tregt, E das sy sein geneset.*

## §. V.

Neque vero pacis solummodo tempore, sed et inter armorum bellicae strepitus praegnantium securitati prospexerunt leges; cum alias inter arma filere dicantur. Nulla enim ex causa in earum corpora milites faeuire praecipiunt, ne quidem victores, urbem ab hoste vi expugnantes. Testatur illud REFORM. POLIT. AVGVSTANA de A. MDXLVIII. verbis: (n) *Und dieweil bey den alten Heerführern und Kriegsherrn löblich Herkom-*

(k) NEANDER *loc. cit.* Cap. XVII.

§. I.

(l) Lib. III. Art. XXXVIII.

(m) Cap. 205. p. 323. Edit. BERGER.

(n) Tit. VI. *Was in Kriegs-Lauffen gefreyet.* Idem habet REFORM. POL. FRANCOF. de A. MDLXXV. Tit. VI.



*Herkommen, wie das auch die Historien vielfältig anzeigen, daß die - - - schwangere Frauen - - - in Kriegshandlungen unberaubt und unvergewaltiget gelassen worden seynd: so gebieten wir allen Haupt- und Befehls-Leuten hiermit ernstlich, und wollen, daß sie bey allem ihrem Kriegsvolk in den Articuls-Briefen derma- schwangere Frauen - - - unberaubt unvergewaltigt und gantz- lich unbeschwert bleiben; welche aber dawieder thun, daß sie an Leib und Leben gestraft werden sollen. Cui respondet MAXI- MILIANI II. ARTICVLVS-BRIEF: (o) Item - - - schwan- gere Frauen - - - sollen die Knechte beschützen, beschirmen und bey Leibsstraf in keinen Weg beleidigen. Excipitur tamen casus, si praegnantes mortiferis telis ipsae laceffuerint milites, vbi his contra earum insultus quouis meliori modo se defendere integrum est. (p)*

## §. VI.

Hic autem moueri posset quaestio: an privilegiis hisce, in fauorem praegnantium constitutis, etiam illae gaudeant, quae ex illicito ac damnato coitu grauidae factae sunt? Notam quidem alias in iure habemus regulam, quod delinquentibus non den- tur beneficia, neque dolosis succurrant leges. Enimuero cum tamen memorata iura non solum ob ipsas feminarum perso- nas, verum maxime quoque, inuitu parris in vtero existentis, facta fuerint, eadem et illegitimo concubitu impraegnatiss vindicare nullus dubito: vt illa excipiam, quae stupratis com- petere, ipsa iuris ratio prohibet. (q)

## CAPVT

(o) Art. VIII. Bodem spectant quo- que verba des HOLLÄND. KRIEGS- RECHTS Art. 4. *Daserne einer schwan- gere Frauen schlagen, stoßen oder ihnen drauen würde, soll er ohne Geld oder Passport abgedancket, oder nach Befin- dung der Umstände gestraft werden. Cui addatur CHYRSÄCHS. ARTICVLVS- BR. Art. 5.*

(p) Vid. REUTER-BESTALLUNG de A. MDLXX. Art. LXX.

(q) Sic enim e.g. stuprata ex ea cau- sa, quod grauida sit, missionem in stu- pratoris bona impetrare nequit; cum partum illegitimum patrem non habe- re fingant leges.



DE  
FEMINA PARTVRIENTE.

## §. I.

**D**e parturientium iuribus singulare quid, in Germanorum legibus me inuenisse, haud memini. Duo tamen hoc loco ipsarum intuitu quin adducam, me temperare nequeo. Vnum, quod testamenta earum, singularibus priuilegiis munita esse, a nonnullis credantur; saltim hoc, quod, licet alias in testamentis condendis feminae, tanquam testes, vix ac ne vix quidem interesse queant, eo tamen casu, vbi femina parturitionis tempore testari voluerit, illarum testimonium, licet vel maxime duae tantum interfuerint, admittendum sit: (r) quanquam non desint plures, qui contrarium rectius adstruere conantur. (s) Alterum, quod quibusdam in locis maritus, cuius vxor inter pariendum e vita excessit, per integrum anni spatium eandem elugere teneatur, (t) cui alias extra huncce casum post elapsum semestre, breuiusue tempus, ad secundas nuptias transire, iure permissum fuisset. An parturientis testimonio iniurato fides habenda sit? sunt etiam, qui affirmant. Ast verior meo quidem iudicio negantium erit sententia? cum non omnis moribundus sit Iohannes Euangelista.

(r) BRVMMER diff. vtrum testamta parturientium inter cetera sequioris sexus iura sint vel esse debeant priuilegiata? §. XIX. seqq. Recusa Ienae, 1745.


(t) III. ENGAV Elem. iur. germ. Lib. I. Tit. XXII, §. CCCCXXX.

(s) Consult. REINHARDT diff.



nc





Farbkarte #13

B.I.G.

COMMENTATIO  
DE  
PRAECIPVIS  
FEMINARVM  
IN GERMANIA  
IVRIBVS

vol. 23  
II K  
2682

EX GENVINIS  
PATRIARVM LEGVM FONTIBVS  
DEDVCTA  
AVCTORE  
THEOD. GEORG. GVIL. EMMINGHAVS  
IVR. DOCT. IN ACAD. IENENS.



IENAE  
SVMTIBVS CHRIST. HENR. CVNO  
M DCC LI.

